

Gabriel Friedrich Fanter

**Viro Magnifico, Praenobilissimo, Amplissimi Senatvs Civitatis Rostochiensis
Consvli Noviter Electo Meritissimo, Domino Ioachimo Christiano Danckwarth,
Honores Nvper Svsceptos, Debita Ac Pia Mente Gratvlatvrvs, Primitias Hasce
Academicas De Bonae Fidei Possessionis Natvra Atqve Indole**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1751?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004511140>


Druck Freier  Zugang






Rosbeck

²⁶
H. K. — 1 (10.)





VIRO
MAGNIFICO, PRAENOBILISSIMO,
AMPLISSIMI SENATVS CIVITATIS ROSTOCHIENSIS
CONSULI
NOVITER ELECTO MERITISSIMO,
DOMINO
IOACHIMO CHRISTIANO
DANCKWARTH,
HONORES NVPER SVSCEPTOS,
DEBITA AC PIA MENTE
GRATVLATVRVS,
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS
DE
BONAE FIDEI POSSESSIONIS NATVRA
ATQVE INDOLE
DAT, DICAT, DEDICAT,
GAB. FRIED. FANTER,
LL. STVD.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

VIRO
MAGNIFICO, PRAEBOBILISSIMO
AMPLISSIMI SENATUS CIVITATIS ROS-
TENSIS
CONSILI
NOBILITER ELECTO MERITISSIMO
DOMINO
IOACHIMO CHRISTIANO
DANKWARTH
HONORIS NUPER SVBSECTOS
ORBIS ACADEMICAE
FRATRIAE HANNOVERENSIS
DE
BONAE FIDEI POSSESSIONIS NATVRA
ATQVE INDOLE
GABRIEL FRIEDRICH FANTER
IN STVDIO



ROSTOCKII
LITTERIS ADBERIANIS



VIR
MAGNIFICE, PRAENOBILISSIME
DOMINE CONSVL,
VENERANDE
DOMINE AVE,
FAVOR ATQVE MOECENAS
SYMMOPERE COLENDE!

Non sine, sed optima cum ratione sapientes Romani clientibus iniungebant officium dona muneraque offerendi suis patronis qualibet suppeditata occasione, quae promotionem felicitatis, dignitatis, atque honorum hisce suis patronis offerebant. Ad gratum provocabant animum, quem beneficia a patronis in clientes collata exigebant, quoties de ratione huius instituti quaestio erat: Quidni etiam hodiernus dies, Vir Magnifice, atque Moecenas summopere Venerande, quo in proemi-

A 2

um

um Tuorum meritorum consilium Patrum huius ciuitatis inclutae Conscriptorum Honores consulis Tibi tribuit idem illud officium ex mea esset parte, qui cumulum beneficiorum aliorum super alias aceruatorum a Te in me collatum pia deueneror ac grata & debita mente. Attraherem maximam ingratitude notam, si pia mea vota, atque debitas omitterem optimam hac suppeditata occasione, gratulationes: Moecenatem, Patronum immo parentem, in Tua sancta mihi semper persona, colo, hincque & de muneribus debitis Tibi offerendis, quantum in me est, quantumue meae vires animi, quas iudico, quam sint exiguae, admittunt, iusta ex ratione laboro. Offero Tibi, Tuoque nomini dico & dedico primitias hasce academicas, hoc vnicum modo rogans, velis, Vir Magnifice, serena fronte accipere, quae aduersa licet Minerua modulus meae exiguae eruditionis, speciminis primi loco elaborare passus est. De maxima & satis vulgata constat omnibus controversia, an nostra Jurisprudencia admittat methodum scientificam. Non meum faciam pro praesenti hunc pomum Eridos. Legantur hac de materia pro & contra sentientes: vid. de Cramer pr. de optima iura docendi methodo. Ejusd. Ungrund der Beschwerden des Herren Canslers von Ludewigs über den Methodum demonstratiuum in iure. E. lend pr. vtrum methodus demonstratiua in Jurisprud. applicari possit. Senckenberg de Jurispr. certa methodo tradenda. Nettelblads vorläufige Gedanken von dem heutigen Zustande der Rechtsgelehrtheit in Teutschland.

Sufficiat mihi periculum facere, & explorare quantum hac in re meae vires sufficiant, quidque humeri mei ferre recusent. Accipe Moecenas optime, hasce meas primitias, ea, qua alias me ducis, beneuolentia, iudica de illis non ex effectu, sed intentione, & respice ad finem mihi propositum vnicum, vt rationes de meis hactenus pertractatis studiis, Tibi, meo patrono, Moecenati, atque parenti redderem.

L. D.

§. I.

Dominium in facultate morali de aliqua re corporali pro arbitrio disponendi consistere, si ut rationem, quare hoc non alio modo suam dirigat dispositionem, ex propria sua, non alterius voluntate deducat, omnia iam satis docent, quae materiam de dominio tractant compendia. Ipsam autem hanc facultatem de re quadam corporali disponendi, mox ipsam substantiam rei, mox eius utilitatem, mox detentionem eius respicere, eodem modo tam notum est, quam notissimum. Descendunt hunc illa vulgata in dominio contenta iura, quae tanquam partes totum constituunt, ius proprietatis scilicet usufructus, & ius possidendi. Admittunt autem haecce iura in dominio contenta per modum acquisitionis, aut lege, aut ultima voluntate tertii concedentis, aut pacto determinatum, varias limitationes, mox hac mox alia ratione modificatas. Sic enim prout vel de sola substantia, vel de solis utilitatibus rei, vel de sola detentione, vel omnibus coniunctim sumtis, vel de utilitatibus quidem & detentione, non autem proprietate, & sic porro competit alicui disponendi facultas, illi mox dominium plenum, mox minus plenum, mox directum, mox utile, & quae sunt reliquae forsitan species, tribuitur. Quicquid autem etiam sit, & quotuplices quoque tibi velis concipere acquisitionis species, tamen semper cum domini conceptu coniungere debes, aut omnia, aut plurima, aut ad minimum quaedam in dominio contenta iura, & praecipue dominium plenum, & minus plenum exinde discernis, prout in vno eodemque subiecto & iura possidendi, & usufructus, & proprietatis simul observas, & coniunctim, aut non.

§. II.

Si modo accurate perpendimus, unde nam haecce facultas domino competens cognosci possit, facili perspicimus negotio,

eam in ipsa rei qualitate niti, & ex ipso modo acquisitionis vnicum suum fundamentum habere, hincque quia id, vnde cognoscitur, quare aliquid sit, quare potius hoc, quam alio modo sit, ratio alterius dicitur, rationem suam vnicam in ipsa rei, quae a domino, & prout a domino possidetur qualitate cognoscere. Unde & prout fuit alveo, quod hoc dominium sit ius cum ipsa re connexum, & optima hinc ratione ad species referri realis (*). Quae itaque de speciebus iuris in re in genere praedicantur per legis dispositionem, omnia quoque ad dominium, eiusque varias species applicari & possunt & debent, nisi forsitan quis primis cognoscendi principiis contradicere cupit, quae satis iam docent argumentum a genere ad speciem. Prout hinc, nisi me omnia iam fallunt, fuit alveo, vulgatum illud axioma iuridicum, quod dominium & plenum, & minus plenum & promissionem, & constitutionem, s. vt clarius, & cum schola loquar, & titulum, & modum acquirendi requirat, antequam iura in illo contenta alicui competere possunt. (**)

(*) Optime hoc modo, cum aliis ICtis conceptum iuris realis verum ac adaequatum euoluit, Illustr. atque Consult. Dom. Nettelbladt, Regi Borussorum a consil. aul. & Antec. Hall. Ord. in suo system. elem. tam iurispr. nat. quam posit. Nec sine lege loquitur positiva, si modo accurate quis ponderet L. 2. pr. ff. de pollicit. L. 3. pr. de obl. & act. L. 25. ff. eod.

(**) Nec obstat dubium, quod vulgo ex cessante solennitate Romana circa acquisitionem iuris Quiritarii mouent. Si modo consideres curatius, quae circa id monent ICti maximi nominis. Consuli hac in materia merentur, quae docet, supra iam cit. Nettelbladt in diff. sub praesidio fratris, iam nostra in ciuitate Senatoris meritiss. & ICti Consult. hic Rostochii habita: De actione Pauliana Cap. 2. §. 32.

§. III.

Solus itaque titulus, licet etiam ad transferendum dominium maxime habilis sit, & causam sat justificatoriam, quare aliquis acquirere possit dominium, contineat, sine traditione acceden-

cedente s. alio modo acquirendi non concedit dominium, & iura in dominio contenta (*). Nec sola traditio, licet alias sit modus acquirendi legitimus in promissionibus, per actum inter vivos stabilitis, sine titulo coniuncto, producere potest dominium, & exinde propullulantia iura proprietatis, ususfructus, & ius possidendi. (**)

(*) Conf. DD. omnes vno ore hanc tractantes quaestionem, praecipue Heinecc. in elem. iur. civ. sec. ord. inst. §. 339. Sch. 2. add. L. 20. C. de pact. Et licet negari non possit, adesse LL. positivas, quae quidem & sine traditione ius reale, consequenter & dominium tribuant, tamen aliqua modo cura perferunt, statim alium hae LL. sistunt modum acquirendi, immediatam sc. L. positivae dispositionem, quippe quae factum illud externum offerunt, quo actu particeps quis fit dominii. Aut totus enim fallor, aut hicce conceptus modi acquirendi est adaequatus, quod fit factum quoddam externum ad causam iustificatorem legalem adcedens, quare aliquis actu particeps fiat iuris cuiusdam. Qui conceptus eadem ratione, qua ad traditionem subsecuram applicari potest, & ad immediatam quadrat L. dispositionem. Variam autem ac multiplicem agnoscit rationem haec immediata L. dispositio. Mox enim agnoscit pro fundamento impossibilitatem traditionis propter conceptum negotii naturalem, ut in hypotheca & servitutibus negatiuis, immo & praescriptione; mox favorem alicuius negotii, ut in ultimis voluntatibus, mox iterum non novam acquisitionem, sed ulteriorem solummodo iuris iam competentis declarationem, ut in sententia adiudicatoria iudicis in iudiciis illis diuisoriis conf. & exempla & LL. ab Heineccio l. c. adductae.

(**) Sequitur enim naturam tituli conf. L. 31. ff. de A. R. D.

§. IV.

Docet iam §. II. & III. ad dominium, hincque ut iura in dominio contenta alicui competere possint, requiri modum acquirendi, qui aut in immediata L. dispositione, aut traditione consistere potest. Facili hinc perspicitur negotio, varios adesse modos

modos dominium alicuius rei acquirendi, variisque rationibus aliquem actum participem fieri iurium proprietatis, usufructus, & iuris possidendi. Sic enim huc refertur non solum traditio actualis alienationem veri domini subsequens L. 25. de obl. & act. L. 23. pr. ff. de rei vind., sed quoque usucapio completa atque perfecta, licet quoque forsitan rem quis a non domino acceperit, L. 20. C. de pact. Sic qui a fisco publica in subhastatione emit, statim dicitur securus esse, §. ult. I de usucap. Nec minus huc pertinent illi, qui ex speciali privilegio sibi dominium in rebus sua pecunia comparatis tribuere possunt, ut v. c. pupilli, ecclesiae, & certa quoque sub limitatione vxor. Conf. Böhrer de administr. bonor. eccl. Cap. 2. §. 14. Leyser, Spec. 304. med. 4. seqq.

§. V.

Fictiones, quae nec in aliis scientis veris ac adaequatis cognoscendi ac probandi adnumerari merentur principiis, nec quoque in nostra Jurisprudencia rationem nobis suppeditant adaequatam, vnde nam iura & obligationes, in aliquo negotio iuridico existentes deducere, cognoscere atque probare possumus. Reiciunt hinc quoque eas Icti hodierni simpliciter, & adplicationem earum in elaborandis veritatibus iuridicis in totum denegant, ideoque optima cum ratione, sicuti iam, licet pro diverso scopo, probatum dederunt Böhrer in diff. de legit. ex damnato coitu nator. & Consult. Dom. D. Berg in diff. de fictionibus principiis demonstrandi non adnumerandi.

§. VI.

Licet autem non re, tamen nomine ejusmodi fictiones in omnibus fere compendiis iuridicis, et tractatibus inveniuntur. Satis hoc docent exempla fictae cognationis, fictae traditionis, ficti s. vt magis loqui amant, praesumpti domini fictae usucapionis, & q. s. r. Immo nec sine ratione vulgata & trita Romanis Ictis quasi negotia huc referri merentur. Sunt autem, atque manent haec Ictus & veteribus & modernis consuetae fictiones, re rectius per-

penfa,

penfa, nihil aliud, quam dispositio quaedam legis positivae, quae determinat, quod propter rationem in statu reipublicae, tanquam principio Iurisprudentiae positivae domestico, fundatam in certo quodam negotio iuridico eadem debeant obtinere iura eademque obligationes, quae alias in plane diverso quodam negotio iuridico per legis dispositionem obtinent (*)

(*) Ad deducendum hunc, atque probandum meum conceptum apprimè faciunt evolutae exemplorum in § adlegatorum definitiones sic enim adfinitas, cognatio legalis, & spiritualis dicuntur fictae cognationes per coitum, per leges, per canones ecclesiae existentes. Ratio autem huius denominationis est, qui eadem iura, eademque obligationes, quae circa prohibitionem matrimoniorum, prohibitam testimonii dictionem, & q. l. r. alias in cognatione obtinent, etiam in adfinitate, cognatione legali & spirituali, licet deficiat relatio per generationem orta, tamen nihilominus per legis dispositionem obtinere debent. Nec operae pretium duco in aliis supra adductis exemplis adplicationem ostendere, cum satis iam hoc unicum defendit conceptum in §. suppeditarum. Conferri interim hic non sine fructu potest. Heinecc: in elem. iur. civ. sec. ord. inst. §. 303. in Sch.

§. VII.

Finis Reipublicae, quem per commune imperium cives intendunt, satis jam docet vulgatum illud iuridicum axioma: maxime interesse reipublicae, ne lites fiant immortales, & consequenter dominia rerum sint certa. Omitto hinc, & iure omittere possum vltiorem hujus principii probationem (*)

(*) Vt plurimum hoc axioma tanquam ratio praescriptionis civilis a DD. adlegatur, & iuste quidem. Nisi autem me omnia fallunt, etiam fundamentum nobis & rationem suppeditat omnium iurium, quae b. f. possessori in LL. positivis tribuuntur. Hincque & ad illud in subsequentibus mihi prouocandum erit.

B

§. IX.

§. VIII.

Detentio alicuius rei, quae possessionis nomine in genere Jctis venit, prout vel cum animo rem sibi habendi coniuncta, vel non i. e. quatenus aliquis intentionem fauet de hac re detenta aut proprio nomine, propriumque incommodum disponendi aut proprio nomine, propriumque incommodum disponendi, aut alieno nomine ac in alterius vtilitatem, nudam s. simplicem & iuridicam diuiditur. Et vltima species possessio se iuridica prout hicce animus rem sibi habendi cum detentione coniunctus vel ad id dirigitur, quod quis tanquam dominus rem sibi velit habere, vel alia quadam ratione iterum subdividitur in natura'em atque civilem (1) semper itaque cum civili possessione intentio coniuncta, de illa re detenta iure domini disponendi. Haec autem intentio aut ex fundamento & ratione iustificatoria legalis oritur, aut non, & hinc iterum vel titulata dicitur l non titulata. Si titula est eiusmodi opinio se esse dominum aut coniuncta cum ignorantia dominium hocce alteri competere, aut deficit haecce ignorantia, licet eiusmodi opinio aliquantulum fundata, se esse dominum in detenta re adfit. (2) Priori in casu possessionis b. f., altero autem m. f. nomine venit (3)

- 1) Conf. Schaumb in comp. pand. tit. de acqu. lamitt. poss. vbi varios significatus possessionis nat. & civilis in LL. Rom obuenientes explicat; collatis LL. ibid. adl.
- 2) vid. L. 109. de verb. sign. L. 42. de reg. Jur. junct. §. 7. J. de obl. quae ex delict. L. 46. §. 7. de furt.
- 3) Possessor hinc, qui bona fide possidet, possessor b. f. qui mala fide possidet, possessor m. f.; & denique qui sine titulo possidet, praedo vocatur.

§. IX.

Quando igitur accurate perpendimus occurrentia in conceptu b. f. possessoris in §. praec. determinata, facili perspicimus negotio, omnia adesse in b. f. possessore, quae alias in vero domino alicuius reiprehenduntur, praeter vnicum titulum ad transferendum ius reale, & dominium per L. dispositionem iustificatorem.

toriam. Detinet rem cum legali opinione, se esse dominum. Hanc detentionem non sine modo acquirendi nobis concipere possumus, & consequenter etiam modus acquirendi, antecedens semper in conceptu b. f. possessoris requiritur. Praecipue quia ignorantia alterum esse dominum semper cum opinione, & animo rem iure dominii sibi habendi coniuncta esse debet. Titulus autem, qui in constituendo domino vero accedere debet f. causa illa iustificatoria legalis, quare possit dominium adquirere deficit. Et licet in qualibet titulata possessione §. antec. requirat causam iustificatorem legalem, intuitu possessionis acquirendae, non autem dominii acquirendi, hoc intelligendum manet. Hinc quia aliquis per solum modum acquirendi, deficiente titulo ad transferendum habili, dominus fieri non potest, §. 3. prono fuit alueo, b. f. possessorem, licet in pluribus cum domino coincidat, nondum tamen dominum actu esse.

§. X.

Melius ius habere dicitur, cuius ratio iustificatoria acquisitionis, magis cum analogia iuris, hincce cum fine LL. procuratione sc. salutis atque securitatis publicae coincidit. (*) In b. f. possessore ratio acquisitionis iustificatoria in modo acquirendi legali coniuncta cum opinione se esse dominum, & ignorantia neminem alium dominum esse consistat, §. 8. & 9. In m. f. possessore haec ratio quidem quaeque in modo acquirendi legali coniuncto cum intentione se esse dominum §. 8. immo in praedone nec modus acquirendi legalis deprehenditur §. 8. Hinc fides optima ratione melius quoddam ius b. f. possessori tribui posse in respectu ad m. f. possessorem, multo magis in respectu ad praedonem. Quando autem b. f. possessorem ad verum referimus dominum, titulus iustificatorius ad modum acquirendi legalem accedens, rationem acquisitionis domini magis cum analogia iuris coincidentem reddit, hinc in respectu ad verum dominum b. f. possessori melius ius non competit.

(*) Ad probandum hunc meum conceptum facere possunt, quae de concursu verae, & fictae traditionis dicit Godofredus ad L. 15. C. de R. V. B 2 §. XI.

§. XI.

Loco domini esse dicitur, cui licet verus dominus non sit, omnia tamen iura domini & naturalia & positiva competunt per legis positivae dispositionem, quique simul propter eandem rationem omnes suscipere debet obligationes, alias a domino vero praestandas. (*)

(*) Probat satis huncce meum conceptum verba L. 66. §. 4. ff. mand., *ut domino omnium rerum*, & L. 48. ff. de A. R. D. iunctis L. 12. ff. de pact. L. 12. pr. de solut. L. 17. in f. ff. de iur. reiur. L. 20. in f. ff. de nouat. §. 35. I. de R. D. & L. 23. §. 1. de A. R. D.

§. XII.

Licet itaque b. f. possessor non verus sit dominus, §. 9. tamen propter melius ius, quod illi in relatione ad extraneum, m. f. possessorem, aut praedonem competit §. 10. constituunt LL. ex ratione in §. 7. relata, quod loco domini esse debeat, idoque omnia habet iura in dominio contenta, partim iam in ipso domini conceptu naturali, partim in L. positivae dispositione fundata, conf. §. ant. ibique adlatio L. 45. ff. de A. R. D. Ad iura in dominio contenta & proprietatis iura referuntur §. 1. hincque vi huius iuris proprietatis & b. f. possessor gaudet facultate de ipsa rei substantia pro arbitrio disponendi, fundi faciem mutandi, rem transferendi in alterum, perdendi, deteriorandi, & q. f. r. ita vt nec ad rationes reddendas, nec ad damnum forsitan domino illatum reparandum sit obligatus. (*)

(*) Vid. hic LL. positivas idem illud satis dilucide determinantes L. 13. §. 4. L. 20. §. 17. L. 25. §. II. L. 28. ff. hered. petit.

§. XIII.

Omnia haec autem secus se habent in m. f. possessore. Deficit in illo per §. 8. titulus ad acquirendum dominium iustificatorijs, hincque licet modus acquirendi legalis adfit, dominium §. 3. Deficiant itaque iura in dominio contenta. Nec LL.

LL. positivae illum loco domini habent. Scit potius, ad minimum scire potuit, rem esse alienam, per §. 8. nihilo tamen minus eam administrat, & hinc ad instar administratoris rei alienae iudicatur & obligatur. Rem haut valet deteriorare, servare potius eam tenetur in eo statu, in quo eam accepit. Re vti, non abuti obligatur. Ad rationes reddendas obstrictus est, ad culpam praestandam ad instar administratoris rei alienae obligatus dicitur in L. 20. §. 12 - 16. & 21. & L. 25. §. 2. ff. de hered. petit, etiam si modus acquirendi illum a praestatione casuum liberet, L. 36. L. 40. ff. de hered. petit. L. 15. & L. 62. pr. de R. V. cessat enim in eo ratio dispositionis legalis, quae in b. f. possessore propter coniunctam ignorantiam, rem esse alienam obtinet. Multoque minus adplicationem inveniunt in praedone, qui propter deficientem modum acquirendi legalem, in perpetua mora est constitutus, hincque ad casum quoque ferendum propter perpetuam moram tenetur L. 1. C. de his, quae vi metusque caus. L. pen. de vi & vi arm. add. arg. L. 2. C. de per. & comm. rei vend.

§. XIV.

Competunt autem haecce iura proprietatis b. f. possessori solummodo eatenus, quatenus meliori iure in relatione ad alterum gaudet, §. 12. Quod melius ius b. f. possessoris cessat, vero domino superveniente §. 10. Hinc quoque vero domino superveniente haecce b. f. possessoris facultas de substantia rei pro arbitrio disponendi, cum omnibus exinde deductis effectibus cessat, atque definit esse loco domini. (*)

(*) Quae hic intuitu litis contestationis forsitan monenda essent, docet iam Schaumb. l. c. tit. de hered. petit. §. 10.

§. XV.

Ad iura in dominio contenta non sola proprietatis iura referri merentur, sed iura quoque usufructus pertinent §. 1. Hinc quia b. f. possessor, donec verus superveniat dominus, rem vindicaturus, loco domini est, eaque ex ratione omnibus iuribus do.

domino qua domino competentibus gaudet §. 12., & facultate gaudet de omni vtilitate, ac emolumentis rei detentae pro arbitrio ad instar domini disponendi,

§. XVI.

Emolumenta rei, ac commoda, exinde prouenientia, prout vel in destinato illius vsu rationem existentiae agnoscunt, vel non, in ordinaria & extraordinaria diuiduntur, atque ad vltimam classem referuntur inter alia, & thesaurus (*) & accessiones. Vtramque speciem, & hinc quoque thesaurum atque accessiones percipit, acquirit, ac pro arbitrio de iis disponit verus dominus (**) hincque & b. f. possessor, vsque ad veri domini superuenientis vindicationem. (***)

(*) Eadem ex ratione thesaurus in L. vn. C. de thesaur. L. 63. §. 1. ff. de adqu. rer. dom. *donum DEI* vocatur ac in L. 3. §. 3. de adqu. vel omitt. poss. *res separata*, qui tamen alias ad partes fundi, tanquam res iacens refertur, & adcessionibus adnumeratur §. 39. I. de R. D.

(**) Quae enim hic ratione iuris hodierni monentur, aliis ex principiis deducenda sunt, & regulam particularem a iure communi deuiam sistunt, quam pro meo praesenti scopo non curo. Conf. Hert. diss. de superior. territ. §. 45. Lauterb. de thesauro.

(***) Obstare quidem videtur conceptus vsufructuarii, ad quem perceptio thesauri & accessionem non pertinet. L. 7. §. 12. solut. matrim. sed nota est, immo quam quod notissima distinctio in omnibus compendiis obuia, inter vsufructum causalem qui est ius pro arbitrio disponendi de rei propriae emolumentis & vtilitatibus, quique hinc rationem atque viteriorem suam determinationem in ipso rei propriae conceptu essentiali agnoscit, hincque propter ius excludendi omnes alios ab vsu huius rei, ad ordinaria & extraordinaria sese extendit emolumenta, & formalem, s. iure seruitutis competentem, qui in facultate per pactum, s. voluntatem veri domini, legem & sententiam iudicis concessa, de emolumentis rei alienas pro arbitrio quidem, sed tamen in ipse

ipsa concessionis formula limitato, disponendi consistit, hincque regulariter sola concernit emolumenta ordinaria. Nec possum mihi plane inutilem, supervacaneam, atque simpliciter inadaequatam persuadere hanc magisterialem distinctionem cum illis, qui causalem usum fructum sub denominatione domini utiliter comprehendendi satagunt. Sunt enim atque quoad plures diuersos effectus exinde deductos manent, plane diuersa, dominium utile, ulterius sese extendens, & ius usufructus ex proprietate fluens.

§. XVII.

Non autem extraordinaria, sed & ordinaria emolumenta sua facit dominus, & hinc quoque b. f. possessor, vi iuris sibi ea ex ratione quaesiti, quod LL. eum loco domini esse iubent: §. 15. quae species iuris b. f. possessori competens, quia fructuum nomine veniunt emolumenta rei ordinaria sub denominatione facultatis fructus percipiendi illi in LL. tribuitur. (*)

(*) Conf. hic L. 48. pr. L. 23. §. 1. ff. de A. R. D. §. 35. Inst. eod. ubi tamen simul notandum velim. semper obuenienti quodam in casu respiciendum esse, an b. f. possessor loco domini pleni, an minus pleni, directi an utilis, sit pro diuersa qualitate suae possessionis; hincque secundum hosce diuersos casus semper omnia diiudicanda esse, quae de iure percipiendi fructus dicta sunt, securi collatio §. 1. pluribus docet.

§. XVIII.

Fructus rei, licet alias prout ex ipsa re proveniunt, aut intuitu solum modo rei percipiuntur, in naturales & civiles, immo naturales iterum prout vel sola natura cooperante, vel hominis opera accedente producuntur, in naturales & industriales, diuiduntur, tamen omnes omnino a vero domino percipiuntur, atque vindicantur, ergo & sine ulla distinctione adhibita, eodem modo a b. f. possessore, qui loco domini est, & omnia hinc exercet iura vero domino competentia. (*)

(*) Satis hoc docent verba L. 48. ff. de adq. res dom. & ratio ibidem

dem ab ipso legislatore adiecta, cum qua coincidit alterius L. 136. ff. de reg. iur. quæ bonam fidem tantundem possidenti præstare, defendit, quantum veritas; Et licet obstare videtur §. 35. Inst. de rer. diu. & L. 45. ff. de usus. Vt enim taceam nullos fructus naturales sine cura ac diligentia b. f. possessoris in ejusmodi quantitate & qualitate produci posse, hincque & rationem ab imperatore in respectu ad industriales fructus adductam, eodem modo & ad naturales adplicari posse, satis quoque iam de hac antinomia adparenter tali remouenda laborarunt; Noodt. in probabil. Lib. 2. Cap. 7. cet. Hopp in Comment. ad dict. §. Inst. L. autem 45. ff. de usur. de fructibus exstantibus, ad quos restituendos, quod & b. f. possessor obligatus maneat infra adhuc pluribus exponendum. Ne autem lucratio fructuum industrialium exstantium marito in re ab uxore donata, hac in lege contra naturam possessionis concessa dubium forsitan moueat, adlegari sufficit verba Wesenbecii in Comment. ad cit. §. 35. Inst. sequentia: „quod uxor industriales fructus ex re sibi donata a marito suos faciat L. 45. ff. de usur. non ex bona malaue fide, sed „iure donationis venit, quæ in industrialibus constat inter con- „iuges, quia non ex natura rei proueniunt, eoque nec ex his „bona donantis minui intelliguntur. L. 15. & 17. ff. de donar. „int. vir atque vxor.

§. XIX.

Naturales fructus, quatenus ciuilibus opponuntur, prout vel separati a fundo deprehenduntur L. 22. C. de rei vind. vel cum fundo adhuc cohærent, & L. 44. ff. eod. in perceptos atque pendentes diuidi satis apparet. Quæ distinctio quidem proprie ad fructus ciuiles, quia numquam corpori cohærent, sed aliunde occasione rei percipiuntur, adplicationem non inuenit. Per fictionem tamen iuris supra §. 8. determinatum fructus quoque ciuiles hanc admittunt diuisionem, prout dies solutionis eorum iam venit, & cedit, aut cedit quidem, sed nondum venit.

§. XX.

§. XX.

Pendentes quidem fructus, sicuti tota res possessa, ad b. f. possessorem spectant, ita ut eadem ratione de iis tam, quam de ipsa rei substantia pro arbitrio, loco domini disponderet, eosque percipere posset. Sed perdurat hoc ius b. f. possessoris, quod per L. fictionem illi competit, non in perpetuum, sed usque ad tempus solum, quo verus dominus rem vindicaturus superuenit, §. 15. Tunc enim non rem solum ipsam, sed & cum omni causa, hincque etiam cum fructibus pendentibus, quippe qui cum fundo adhuc coherentes pars fundi censentur, dominus repetit per ordinariam rei vindicationem, vid. §. 19. L. 44. ff. adl.

§. XXI.

Perceptos fructus b. f. possessor iam a fundo separauit atque secundum conceptum hodiernum quoque ad locum deductum §. ant. Competebat hoc ius percipiendi b. f. possessori per ipsam legis dispositionem, quae eum loco domini constituit, itaque ius percipiendi eos concedit §. 17. Adest itaque in b. f. possessore causa quaedam iustificatoria legalis, quare dominium fructuum perceptorum acquirere possit, s. titulus acquirendi. Ipsa autem separatio actualis, atque deductio horum fructuum ad locum destinatum, factum inuoluit, quo dispositione legali fauente domini particeps sit, hincque modum acquirendi. Ratione fructuum itaque perceptorum & titulum & modum acquirendi deprehendimus in b. f. possessore, hinc verum dominium per actualem perceptionem acquisitum. Hincque perspicimus rationem LL. positiuarum, quae quod b. f. possessor fructus percipiendo suos faciat, disponunt. Rei autem vindicatio, quam LL. vero domino superuenienti concedunt, solum ad eas res repetendas datur, quae ad dominium domini superuenientes spectant, non autem ad res ab ipso b. f. possessore iam plene adquisitas, ergo nec ad fructus a b. f. possessore iam perceptos trahi potest. (*)

(*) Quousque autem dicta in §. applicari possunt ad fructus post
litis

litis contestationem perceptos, exinde iterum diiudicandum, quod de L. C. bonam fidem possessoris interrumpente, & non interrumpente ex L. 40. pr. ff. de rei vind. & L. 2. C. de fruct. & Lit. exponf. adducit Schaumb. in Comp. ff. tit. de hered. petit. §. 10.

§. XXII.

Malæ fidei possessor eodem non solum modo, sicuti b. f. possessor, ratione fructuum pendentium propter identitatem obligationis ad restituendum cum ipsa re tenetur per actionem rei vindicatoriam. Sed præterea quoque, licet etiam factum separationis adhibuerit, tanquam modum acquirendi, tamen titulo iustificatorio legali ratione fructuum perceptorum destituitur, hincque nec dominium eorum acquirit. Præterea quoque scit rem esse alienam, hincque tanquam accessor rei alienæ ad damnum dolo, culpa lata, ac leuidatum reparandum tenetur. Hinc non ad pendentes solummodo, l. 44. ff. de rei vind. sed & perceptos, immo & percipiendos fructus restituendos obligant eum LL. & rationem redditionum ei iniungunt. L. 20. §. 6. ff. de hered. petit. L. 22. C. de rei vind. §. 2. Inst. de off. iud. (*)

(*) De fructibus tamen percipiendis saltim, quos honeste percipere potuit, hoc intelligendum esse docent L. 33. ff. de rei vind. L. 62. in fin. eod. Impia enim lucra nec conceptus administratoris rei alienæ admittit. Immo quia fructuum percipiendorum probatio a domino vindicante, tanquam actore, analogia iuris exigat, melius esse dicit Mev. Part. 3. Dec. 373. ut domino tantum adiudicetur, quantum secundum loci consuetudinem pensionis loca accipere poruisset, si alteri forsitan ea res locata fuisset.

§. XXIII.

Spatium & temporis & plagellarum ratione ulterioris subdivisionis, fructuum perceptorum in relatione ad b. f. possessorem in exstantes atque consumptos illorum in præscriptos & non præscriptos, horum autem in cum & sine lucro consumptos, & ratione eorum, qui cum lucro consumpti sunt, iterum denique sub divisionis

fionis in præscriptos & non præscriptos amplio-rem mihi interdicit, atque prohibet deductionem. Hinc breuibus solum modo addam. Adquirat quidem b. f. possessor fructus perceptos pleno iure, ita ut eos vindicare nequeat dominus superueniens §. 21. Quando tamen extant adhuc penes b. f. possessorem, hinc lucrum exinde percipit, quod cum damno veri domini coniunctum, eaque ex ratione b. f. possessor tanquam locupletior cum damno alterius ad eos restituendos obligatur L. 22. C. de rei vind. Nisi forsitan iam præscripti sint per lapsum triennii. Tunc enim licet lucrum maneat penes b. f. possessorem, licet quoque damnum remaneat ratione domini superuenientis, tamen pœna negligentia, quæ omne fundamentum præscriptionis continet, hocce damnum ita qualificatum reddit ut tanquam damnum propria domini culpa illatum, quod hinc sentire non videtur, considerari possit. Manet itaque b. f. possessor locupletior, sed non cum damno veri domini; hinc nec ratione fructuum exstantium præscriptorum ad reparandum damnum obligatur, ergo nec ad restituendum. Quoties contra ea b. f. possessor fructus perceptos sine lucro consumpsit, rem propriam consumpsit, & perdidit, ratione cuius nemini tenetur. Et licet quis hic provocare vellet ad damnum per eiusmodi consumptionem domino illatum, partim & verus dominus nihil ex suo amisit, partim quoque cessat lucrum in b. f. possessore, quæ ratione exstantium obligationem ad restituendum iniungebat. Ratione fructuum autem cum lucro consumptorum identitas rationis, quæ in respectu ad exstantes aderat, & hic obligationem ad restituendum producit arg. L. 23. §. 5. ff. de rei vind. nisi forsitan & hic præscriptio triennii accedens negligentiam, & hinc pœnam negligentia domino imputet. Conf. interim Illust. quond. atque Consult. HERINGII diff. de prodigio felici in materia de fructuum restitutione.

§. XXIV.


Ultimo denique loco & ad iura b. f. possessoris, quæ illi per sæpius iam adductam fictionem competunt ea ex ratione, quia loco domini est, & iura possidendi referri merentur, unde


& actio publiciana a praetore concessa originem ducit, & caetera quaedam exinde deducenda confectaria, de quibus conferri meretur Voet, ad ff, tit. de publiciana in rem actione.

Hac sunt, Vir Magnifice, quae hac de materia pro ingenii modulo elaborata Tibi ad iudicandum examinandumque offero, pia rogans mente, velis illa serena accipere fronte, & licet forsitan defint vires, tamen ad voluntatem magis respicere plus tolerandum, quam vituperandum. Seruet conferuetque Te, Vir Prænobilissime, DEVS ter optimus terque maximus fospitem atque incolumen ad seros vsque annos, concedat Tibi vires, quas noui Tibi demandati honores, & cumula cum illis negotia varia, exigunt, beet Te quolibet felicitatis genere, vt & integra nostra ciuitas, Splendidissima Tua familia, & clientes, quorum in numerum, vt & me recipere velis, est quod enixe rogo Tuo sub moderamine, tutela ac directione vitam degant felicem. De coetero Tuo fauori, de meliori quod aiunt nota, me meaque studia, omnem promittens pietatem ac obseruantiam iterum iterumque commendatum cupio. Valeas, Vir Magnifice, Moecenas summopere colende & deuenerande!

Valeas atque faueas!







cedente s. alio modo acquirendi non concedit dominium, & iura in dominio contenta (*). Nec sola traditio, licet alias sit modus acquirendi legitimus in promissionibus, per actum inter vivos stabilitis, sine titulo coniuncto, producere potest dominium, & exinde propullulantia iura proprietatis, usufructus, & ius possidendi. (**)

(*) Conf. DD. omnes vno ore hanc tractantes quaestionem, praecipue Heinecc. in elem. iur. civ. sec. ord. inst. §. 339. Sch. 2. add. L. 20. C. de pact. Et licet negari non possit, adesse LL. positivas, quae quidem & sine traditione ius reale, consequenter & dominium tribuant, tamen aliqua modo cura perscrutanti, statim alium hae LL. sistunt modum acquirendi, immediatam sc. L. positivae dispositionem, quippe quae factum illud externum offerunt, quo actu particeps quis fit dominii. Aut totus enim fallor, aut hicce conceptus modi acquirendi est adaequatus, quod sit factum quoddam externum ad causam iustificatorem legalem adcedens, quare aliquis actu particeps fiat iuris cuiusdam. Qui conceptus eadem ratione, qua ad traditionem subsecutam applicari potest, & ad immediatam quadrat L. dispositionem. Variam autem ac multiplicem agnoscit rationem haec immediata L. dispositio. Mox enim agnoscit pro fundamento impossibilitatem traditionis propter conceptum negotii naturalem, ut in hypotheca & servitutibus negatiuis, immo & praescriptione; mox favorem alicuius negotii, ut in ultimis voluntatibus, mox iterum non novam acquisitionem, sed ulteriorem solummodo iuris iam competentis declarationem, ut in sententia adiudicatoria iudicis in iudiciis illis diuisoriis conf. & exempla & LL. ab Heineccio l. c. adductae.

(**) Sequitur enim naturam tituli conf. L. 31. ff. de A. R. D.

§. IV.

Docet iam §. II. & III. ad dominium, hincque ut iura in dominio contenta alicui competere possint, requiri modum acquirendi, qui aut in immediata L. dispositione, aut traditione consistere potest. Facili hinc perspicitur negotio, varios adesse modos

